AL … IONEM

M. IV…NI PVDENTIS

HOC IPSO ANNO ROMAE DETECTAM

ADVERSVS ANONYMI CONVICIA

CVRAE POSTERIORES





R O M A E

APVD IOANNEM ZEMPEL CIƆIƆCCLXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Iſthic eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus,
Vt quaeſtui habeant male loqui melioribus.
Plaut. Poen. Act. III. Scen. 3. v. 12.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

DOMINICO IORDANO

PATRIARCHAE ANTIOCHENO ROMAE VICESGERENTI

CAIETANVS MIGLIORE



IV mihi deliberandum non fuit, ILLVSTRISSIME PRAESVL, *eccui potiſſimum meas haſce ab Anonymi conviciis vindicias, brevi temporis ſpatio conſcriptas, dicarem. Quod enim marmor Monialium Tuarum Coenobio, Tuo quaſi in ſolo natum, & Sanctiſſimis* PONTIFICIS *Noſtri pedibus a Te ipſo exhibitum, ſuas res omnes Tibi acceptas refert, ita omni jure Tuum eſt; ut quidquid ad illud pertinet, ſive longiori commentario illuſtrandum, ſive ab aliorum obtrectationibus purgandum, uni Tibi debeatur marmoris ipſius vindici ac Maecenati. Accedit, quod tota haec cauſſa apud*

Te

Te primum, quasi ordinarium earum rerum judicem, ab Zarrillio est instituta; nec ipse Anonymus excipiendo, accusandoque Tuum forum declinare voluit. Tibi itaque uni sistenda erat isthaec veluti actorum recensio; quibus ex integro inspectis, Tumet peremptorio tandem judicio rem definire posses. Ceterum nisi quid horum sit, ádhuc tamen spectatissimum Tuum nomen in Defensionis fronte proponerem; ut quam ei existimationem neque ab rerum delectu, neque ab rationum pondere, neque demum ab ipsa mole possem, ab inscripto certe gravissimi hominis nomine conciliarem. Tanti est, Amplissime Vir, quod innumeris morum suavitatibus, & exquisitissimo graviorum scientiarum penore, Tibi omnium animos, atque obsequia devinxeris: praesertim vero egregia animi, orisque serenitate, qua nemo adhuc ad Te accessit, quin aut beneficiis auctus, aut certe officiis devinctus discederet. Sed amens sim, si Tuas laudes brevi litterarum ambitu comprehendere velim. Te interim D. O. M. rei Romanae, litteris, amicis diutissime servet: & dum in eam sententiam Superos sollicitis precibus fatigare non desisto, Tuae vicissim erit humanitatis & Iunii caussam, & libellum hunc, & ejus auctorem ab Anonymi accusationibus pro tua auctoritate tueri.

Romae Kal. Quinctil. CIↃIↃCCLXXIII.





Vperiore ineunte Majo, in Coenobio vulgo *le Viperesche*, eruderando effossum est litteratum marmor; cujus inscriptio nitidis quidem characteribus erat ejusmodi:

DIS . MANIBVS
M. IVNI . PVDENTIS
PISTORI . MAGNARIO . PERSIANO
CLAVDIA . EARINE
CONIVGI . CARISSIMO . ET . SIBI . FECIT
CVM . QVO . VIXIT . A . VIRGINITATE . ANNIS . XXXV
SINE . VLLO . DOLORE . NISI . DIEM . MORTIS . EIVS . ET
LIBERTIS . LIBERTABVS . POSTERISQVE . EORVM

Interim Illustrissimus Dominicus Iordanus Patriarcha Antiochenus ei Coenobio praefectus (cujus interiores litteras aeque, ac morum suavitatem numquam pro merito laudabimus), agnito marmoris pretio, nihil habuit antiquius, quam ut ad SS. D. N. CLEMENTEM XIIII. rei antiquariae commodis vere natum, deferret. Sed ne suo careret commentario, ad Cl. V. Matthiam Zarrillium Academicum Herculanensem, qui forte per eos dies Romam diverterat, epigrammatis exemplar mittit,

tit,

tit, ut, de eo quid ſentiat, ſcriptis ad ſe litteris, breviter expromat. Zarrillii epiſtolam IV. Idus Majas datam habent Romanae Litteratorum Ephemerides XI. Kal. Iun. num. XXI. Ejus ſumma huc ferme recidit, titulum *M. Iunio Pudenti* a *Claudia* conjuge poſitum: ſed τὸ PERSIANO ad Piſtoris officium, non ad Iunii patriam omnino referri: ita enim jubere romanum *M. Iunii Pudentis* nomen; quod argumentis ille prorſus neceſſariis evicit: eique explicationi & Iordanus ipſe acerrimus earum rerum aeſtimator, & ceteri Romani archaeologi plane acquieverunt.

Atque in his otioſe eramus, quum ecce tibi ſuperioribus diebus Anonymus quidam, afflictas *M. Iunii* res ex animo commiſeratus, quaſi Deus e machina, opportune proſilit; & breves quidem, ſed ponderoſas de eo negotio ad Iordanum litteras, tanta venuſtate, atque elegantia, tantiſque penitioris litteraturae cupediis ſuffarcinatas ſcribit, quibus ſimiles, & etiam meliores vel minuti in compitis diſcipuli effutire erubeſcerent. Matthiam vero Zarrillium, & Cajetanum Migliore, qui in hujus ſententiam iverat, quaſi ad patrios cineres minxerint, ita inciviliter accipit, ut impudentiſſimis etiam ſtomachum faceret. Sed Anonymi Epiſtolam, quam pro merito adumbrare deſpero, ſecundis heic typis recudendam curavi, ut eam ipſi per ſe melius guſtare poſſint lectores. Ita nec ejus laudibus mea officiet deſcribentis infantia; & quos meo ab ore ille certe dedignaretur plauſus, ab univerſis litteratorum centuriis multo libentius excipiet.

All'

All'Illustriss. Monsignor Giordano Patriarca di Antiochia Vicegerente di Roma.

UN ANONIMO [1].

LA Iscrizzione [2] di *M.Giunio Pudente* trovata costì nel Conservatorio delle Viperesche, meritava di capitare in mani più esperte, che quelle del Signor Abate Zarrilli; e la lettera ad VS. Illustrissima diretta in coteste Efemeridi Letterarie di quest'anno Num. XXI., ove ne dà partitamente la spiega [3], tuttoche [4] approvata dal Signor Abate Migliore, è piena zeppa da capo a fondo [5] di notizie o inte-

(1) Ab ipso titulo incipiunt rusticitatis, & petulantiae argumenta. Nam spectatissimi Romanae Curiae Magistratus nomen, quasi e trivio hominis, minusculo charactere scribit: ipsius vero, qui Epistolam dat, majoribus litteris, tamquam supremi Dictatoris in sella Curuli sedentis.

(2) Qui in intima antiquitatis latifundia se totum abdidit, minutas Italicae orthographiae quisquilias non moratur. Sic qui oculis peregrinantes caeli spatia curiosius investigant, saepe ea, quae ante pedes habent, non advertunt, & in lubrico confidenter inambulant.

(3) Per compendium, opinor, longioris voculae *Spiegazione*. Lapidariam scientiam, quae tota in compendiis est, per omnia affectat Anonymus.

(4) Et hoc quoque puram putam Graecitatem redolet: nam accentus ab recentioribus Graeculis inventi, ut ab Italica etiam lingua exulent, facem ceteris praefert.

(5) Officiose quidem, ut nihil supra: ab privato tamen hominis judicio, ad litteratorum tribunal provoco, ut, accommodatis utrique parti auribus, sententiam sine appellatione pronuntient.

interamente falſe, o recate male a propoſito. Non videro l'autore, e l'approvatore, che quel *Iunii Pudentis* nel ſecondo caſo, non potea riferirſi (6) altrimenti al *Piſtori Magnario* nel

(6) At vero ſi id ipſum, unde tota haec cauſſa pendet, in veteribus lapidibus intento digito monſtrarim, eritne mihi indicii praemium? Adeas igitur Fabrettum p. 256. 76. DIS. MANIBVS. C. CALPVRNI. SCIATHI. PROCVRATORI. C. PISONIS. Id. p. 234. 613. DIS. MANIBVS. SACER. Q. FABI. VIATORIS. DOCTORI. SECVTORVM; & p. 653. 461. D. M. L. VAFRI. NICEPHORI. MEDICO; Murat. 974. 7. D. M. L. ROSCI. ENCOLPI. DECVRIALI. DECVRIAE. LICTO. h. e. LICTORI; ita enim jubet τὸ DECVRIALI. Cl. Iuvenatius in eruditiſſimo de Vrbe Aveja commentario p. 110. DIS. MANIBVS. N. NAEVI. N. F. PALAT. VITVLI. DECVRIONI. PVTEOL. &c. Sed ne in unis officiis acquieſcam, Fabr. p. 268. 116. D. MANIBVS. Q. BELLICI. AEMILIANI. FILIO. OPTIMO. ET PIINTISSIMO. Id. pag. 372. 158. D. M. L. VIBI. ZOSIMI. CONIVGI. BENEMER. Rein. Cl. XIV. 68. DIS. MANIBVS. L. FAENI. VRSONIS. THVR. (forte THVRARII, ut apud Fabr. p. 952. 6.) CONIVGI. BENEMERENTI. TYCHE. LIBERTA. FECIT; Donat. Suppl. Murat. 82. 7. D. M. L. AEMILI. L. F. FESTI. DECVRIALI. II. ARVSPICI. Gorius in Marm. Don. Cl. XI. 47. & Gud. p. 256. 9. MEMORIAE. IVLIAE. PRIMAE. FIDELISSIMAE. ET. INCOMPARABILI. FEMINAE; ac cetera hujuſmodi, quam magnus numerus Libyſſae arenae. Aliquando etiam rejecta Manium invocatione. Fabr. p. 60. 349. T. FLAVI. MOELIBAEI. VIBIA. CALATIA. CONIVGI. CARISSIMO. Satin hoc? an plura deſideras?

At at jam ſero intellexi: quidni eos lapides Anonymis omnes inſcriptos dicamus? Verum ſi ex Claſſe Affectus Liberorum erga Parentes aliquod mihi forte hujuſmodi naſcatur marmor, in quo filius patri cognominis occurrat; hocne etiam Anonymo poſitum lectori propinabis? an aegri ſomnia venditaſſe fateberis? Sed ecce tibi Gorium Marm. Don. Cl. X. 17. DIBVS. SECVRIS. M. SALLVVI. FELICISSIMI. HERACLITIANI. TRIB. ESQ. CORPORE. AVG. PVERO. PIISS. ET. DVLCISS. M. SALLVVIVS. PAT. Ac ſexcenta ejus generis afferrem, niſi in re certiſſima, congeſtis auctoritatum plauſtris, lectores occidere puderet. Quod ſi tantum Anonymo non fuit otii, ut ad ipſos inſcriptionum fontes accederet; at quantuli fuiſſet laboris, philologorum ſaltem, qui id expreſſe monent, rivulos adire? Fabrettus enim Inſcr. Dom. p. 60. *Nam quod forſan incongruum duxerit, gignendi caſum Hermiones cum Dativo Conjugi copulare, praeterquam quod non deeſt ratio hanc locutionem tuendi, plurima hujus abu-*

busus (demus ita esse vocandum) exempla reperies. Et Maffejus in Sel. Gall. Antiq. Ep. IV. p. 25. ad inscriptionem positam D M Q. CAPITONI PROBANI SENIORIS DOMOROM NAVICLARIO MARINO, eam ἀνωμαλίαν clarissime advertit. Ceterum lapides, in quibus dativo patrius casus conjungitur, ne Grammaticorum legibus prorsus absonos dicas, δίκωλοι, seu *bimembres* censendi sunt, quasi dixeris: *Dis Manibus. M. Junii. Pudentis. M. Junio. Pudenti. Pistori. Magnario. &c.* sed altera haec nominis enunciatio consulto omittitur, ne delicatas Latinorum aures offendat, quum ex contextu ipso ultro in cujusque oculos incurrat; tum vero maxime nostro in lapide, in quo *M. Junii Pudentis* nomen grandiusculo prae ceteris charactere insculptum, nullum ambigendi locum relinquit, ei omnino positum fuisse marmor. Ita Dis bene juvantibus, nec Prisciano caput eo nomine dolebit, nec *Earines* vir ab *Pudente* nostro diversus erit.

Illud etiam notatu dignum, sive quod *Manes*, ut ait Capella lib. 2. de Nupt. *humano corpori praesules, quoniam corporibus eo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiam post vitam iisdem delectantur*; sive quod *Manium* nomine ipsae veniant defunctorum animae; saepissime inscriptiones non Dis Inferis universis, sed unius defuncti Manibus nuncupari. Macrob. Sat. 1.10. *Accae Larentiae Manibus per Flaminem sacrificari solitum* refert; & Gellius lib. 10. 18. ab Artemisia *monumentum Dis Manibus sacris Mausoli dicatum*. Apud Liv. lib. 1. Horatius duos Curiatios *Fratrum Manibus dedit*; & Apulejus lepide pro more lib. 8. *At ego*, inquit, *sepulchrum mei Leopolemi tuo luminum cruore libabo, & sanctis Manibus ejus istis oculis parentabo*. In Cenotaphio etiam Pisano apud Norisium *L. Caesaris Manibus inferiae* jubentur.

Antequam hinc abeo, abs re non erit inedita duo breviuscula de Diis Manibus epigrammata, ex iis, quae in forulis habeo, afferre; uti eo diverticulo Lectores ab Anonymi petulantia tantisper se recreent. Primum est ejusmodi: SVMANO. SVO. DVLCISS. LVCILIA. MATER. SCELERATA. *Sumani* nomen veteribus, quod sciam, ignotum, nescio quid monstri alit, suo praesertim praenomine carens. Atqui si pro *Sumano*, *Summanum*, uno leviuscule addito elemento, recudamus; novae, nec fortassis poenitendae conjecturae erit locus. Nimirum *Manibus* omnibus Pluto praeerat, quem idcirco *Summanum*, h. e. ex Mart. de Nupt. lib. XI. *Summum Manium* dicebant, *cui*, ut ait Statius, *servire dati Manes*; ac praeter Arnobium adv. Gent. lib. 5. & 6. Gruterus 1015. 7. PLVTONI. SVMMANO. ALIISQVE. DIS. STYGIIS. Lucilia itaque mater, ut filium, quem unice diligebat, non inter Manes tantum esse ostenderet; sed ob egregias animi suavitates, ac benefacta priora, inter Manes ipsos principem locum meruisse significaret, suppresso ejus nomine, eum *Summanum*, quasi inter *Manes*, h. e. defunctorum animas, *Summum* nuncupavit. Ceterum ei conjecturae non ita acquiesco, quasi in eam jurare debeant lectores: at nisi a vero, ab verisimili certe minime abludit. *Scelerata* est infelix, *ideo quod scelere aliquo polluta videretur aliis*, ait Rein. Cl. XII. 122; malim tamen cum Fabretto a *scelere* eam dicere, quod olim *infortunium* denotabat; idque ex lapidibus, ac veterum auctoritate solidissime ille firmat p. 237.

Alte-

nel terzo, ſenza metterſi ſotto a piedi il povero Priſciano (7); e che perciò altri è il *Puden*.

Altera inſcriptio ſic ſe habet: DIS. IMMVNIB. L. PLOTII. CALC.... forte *Calculatoris*: cetera deſiderantur. Pro *Dis Immunibus*, omnino legendum *Immanibus*, ne vectigalium, alteriuſve oneris immunitatem inter ipſos Deos irrepſiſſe arbitremur. Luſit enimvero tituli ſcriptor in *Manium* voce, quos ob raptum L. Plotium *Immanes* potius non ſine irreligione dixit. Nihil enim apud veteres frequentius, quam ut nomina leviter immutata in ludibrium verterent. Diogenes Cynicus apud Laërtium VI. 24. Euclidis *Scholam* χολὴν dixit. Sic apud Suidam *Arbazacius* ἁρπαζάκιος in v. Ἀρβαζ. *Democritus* apud Athenaeum Λημόκριτος, *Chryſippus* apud Heſychium *Cheſippus*, *Labienus* *Rabienus* apud Senecam. His adde *Aſebium*, *Satanaſium*, *Copriauum*, *Amacarium*, ejuſdemque furfuris ſexcenta. Noſtris etiam temporibus Fabrettus in Titilivitiis *Gronovium* dixit *Grunnovium*; & ſuperioribus annis neſcio quis Neapoli *Martorellium* in quodam ſchediaſmate dixit *Mattarellium*, ſed immerito pro tanti hominis reverentia. Denique ea adverſus Deos imprecatio in titulis infrequens non eſt. Grut. 652. 3. FATIS EXTINCTVS INIQVIS; & 906.14. EREPTO FATIS INIQVISSIMIS; 707. 5. MALE IVDICANTIBVS FATIS SVPERSTITES; 663. 5. VIRGINEM ERIPVIT FATVS MALVS; & Fabr. c. 2. 165. INIQVA FATA. Cur vero noſtro in marmore iſthaec iniquitas *Dis Manibus* tribuatur, non *Fatis*, ea reddi poteſt ratio, quod apud Fabr. p. 87. XI. DII MANES FATORVM ARBITRI dicantur. Sed e diverticulo in viam.

(7) At vereor, ſi Priſcianum inter lapides ſalvare velis, ut te ipſum lapidibus obruant lapicidae; quorum tanta erat in ſculpendis titulis oſcitatio, ut ex immenſo inſcriptionum oceano, vix pauculae, tamquam e maximo naufragio tabulae, mendis omnibus purgatae evaſerint. Quî enim cum Priſciano ſtare poterunt egregiae enimvero illae Latinitatis cupediae: SE VIVVS, VNA CVM SERGIAM, EQVITVM SINGVLARVM, SEPVLCHRVM HVNC, CVM QVEM VIXIT, OB PERPETVO AMORE, FATVS MALVS, ac millena ejus generis alia? atque ut ab editis abſtineam, in teſtaceo fragmento Sueſſae ante quartum hunc annum effoſſo in villa Galianorum, quod Ferdinandus ille leporum omnium aeque, ac gravioris litteraturae feliciſſimum ingenium mecum communicavit, *Ianuarius* quidam *habuiſſe* dicitur *popula N. LXXX. manivias una*. Ejus epigrammatis ectypon ab vulgaribus litteris nonnihil aberrans nunc per temporis nguſtias incidere non licuit; ſed opportuniore fortaſſe in loco σὺν Θεῷ dabimus. Quid, quod noſter etiam *Iunius* ſuis non caret ſordibus? Ver. 7. SINE VLLO DOLORE NISI DIEM MORTIS EIVS.

Lapidum vero pſeudographiam nil moror, qua vel Auguſtei ſaeculi marmora ab imperitis, aut peregrinis ſcalpta laborant. Sed Chriſtianarum inſcriptionum

dente [8] , cui è consecrata [9] l'epigrafe ; altri il marito [10] della *Claudia* , che nella iscrizzione [11] non si nomina [12] affatto , e la rende perciò più nuova [13] , e bizzara

num barbaries fidem omnem exsuperat, sive quod primaevi Fideles ceteris rudiores erant, sive quod inter furentes gentium catervas tantisper se sibi surripere non possent, quoad incidendis lapidibus otiose vacarent ; cujus rei specimina ἴσα κόνις . Adisis Lupum , Bonarrotium, Marangonium, Boldettum; praesertim vero Romae Subterraneae Auctores . Noster tamen Zoilus ad miraculum scrupulosus vel minimis maculis offenditur . O utinam peras non imposuisset Iupiter nobis duas! Fortasse ab scribendis hisce litteris abstinuisset .

(8) At nisi *Pudentem* Claudiae virum dicas , quid est hoc , quod Claudia mariti nomen suppresserit ; *Pudentem* vero nescio quem sibi nullo cognationis vinculo conjunctum , in inscriptionem inferserit? numne *Earines* vir ad plures abiens hunc scripsit rerum suarum vicarium? an vero renovata dolemus Bibuli Consulis tempora ? *Nam Bibulo fieri Consule nil memini* .

(9) Epigraphen nunc *Anonymo* , nunc vacillante memoria , *Iunio Pudenti* consecratam dicit . Egregius spectaculi praefectus personas suas aliàs prodire, aliàs post siparium latere jubet , ut scaenae serviat . I nunc, & Zoilo histrionices principatum , si potes , denega !

(10) Prima fronte ad Rhetorum *Endyadin* referri oportere existimabam, qua res una in duas dividitur. Retamen melius inspecta , nescio quid heic μυστηριῶδες subsidere intellexi . Claudiae maritum violatae fidei reum deprehenderat. Atqui resciverat, Tullum Hostilium Mettii Fuffetii corpus ob violatae fidei crimen , duabus admotis quadrigis , in binas partes distraxisse : hinc Anonymus , quod vivo factum non fuerat, saltem mortuo fieri justitiae amantissimus jubet , ut unus idemque in duas distrahatur partes . Hoc enimvero est in ipsa marmoris viscera penetrare : nam marmoream scientiam ita callet Anonymus , ut ipse & marmor sint plane synonyma . Quid interim hoc piaculi est , ut tantus homo suum nobis nomen, & faciem invideat! quos enim ignoto libenter statuimus honores , quanto libentius praesenti coram facere gestiremus?

(11) Et chorda semper oberrat eadem . Laudo hominis religionem ; ne quae sibi uni debentur σφάλματα , lectores per injuriam typographo innocentissimo vertant .

(12) *Fuit haud ignobilis Argis , Qui se credebat miros audire tragoedos , In vacuo laetus sessor, plausorque theatro* . Quid rides ? mutato nomine , de te fabula narratur .

(13) Antiquius est , mihi crede , Caelo, & Chao , titulos anonymis inscribere : ab ipsa itaque rei novitate ea in re novissimum te ultro prodis . Sint

ra (14). Anzi l'essere *M. Giunio Pudente* un nome Romano, donde il Zarrilli prende argomen-

Sint speciminis loco (universa enim corradere vel Masorethicam delassaret morositatem) paucula e Fabr. p. 21. CONTVBERNALI . FECIT . VIX . ANNIS . XIX — D. M. AMICA . AMICO. CARISSIMO . B. M. F. — HIC . SE. BIVO. OMNIBVS . SVIS . BENE . FECIT — PATER . FILIAE . BENEMERENTI . FECIT — D. M. GEMELLI . II. GEMELLAE . II. & p. 1. nil ultra D. M. S. quem quidem famae contemptum ex interioribus philosophiae placitis derivarant nonnulli . Id ipsum multo frequentius in Christianorum lapidibus, qui veros virtutis sensus ex Evangelio expresserant ; quorum saepe loculi unam prae se ferebant Christianitatis tesseram, Christi monogramma. Vide Fabr. Cap. VIII. p. 545, & Aringhium lib. 6. c. 22. & 23. tom. 2. Et tamen quae Evandri temporibus lippi juxta, ac tonsores in trivio venditabant, Anonymus heri, aut nudius tertius nata contendit.

Lectorum heic gratiam initurum confido, si ineditum marmor Anonymo positum, & Scalis in Picentinis apud Nobiles de Afflictis a me ipso exscriptum, publici juris faciam: COMPARI . DVLCISSIMO . B. M. PALEAT. LIGNAR. CERVONIA . CVM . QVO. ANN. XXIII. ET . SIBI . H. M. H. N. S. Lapidis dignitas ex illis est PALEAT. LIGNAR. Nam *Paleatorem*, *Pabulatorem*, *Pabularium*, aut quid simile interpretari nos vetat, quae sequitur *Lignarii* vox. Meo tamen periculo refinge TALEAT. h. e. *Taleatori Lignario*. *Taleas* Nonius explicat *scissiones lignorum*, *vel praesegmina*. In Glossis Philoxeni explicatur κορμοὶ, σχίδαξ, σκυτάλη. Colum. IV. 33. 4. *Taleae prope stirpem recisae*; Cato 45. 2. *Taleas oleaginas tripedaneas decidito*; Var. lib. 1. de R. R. c. 40.: *Sit de tenero ramo ex utraque parte aequabiliter praecisa, quas alii clavolas, alii taleas appellant.* Apud Colum: *Taleolae vitis, sellae*. Hinc apud Rusticos *taleare*, & *intertaleare*, Italis *tagliare*; quod & *talare* dictum aevo sequiore: nihil enim frequentius in Chartis apud Muratorium, & Cangium, quam *Silvam*, *ligna taleare*, *taliare*, *talare*. *Taleator* itaque *lignarius* erit, qui apud nos *Tagliator di legne*. Ceterum inscriptio haec, si me audis, quolibet cimelio pretiosior est, ex qua medicinam tandem Gratiani *Paleis* fieri posse auguror, quas alii a canonum levitate derivant; alii a nescio quo *Palea*; alii quasi παλαιὰ, hoc est *antiqua*; alii denique aliter; nemo adhuc pro rei veritate explicuit. Quid si *Palea* leviuscule mutetur in *Talea*, quasi longioris loci, seu Canonis scissio, vel praesegmen ? Hoc equidem possem ponderosis rationibus, si id agerem, firmare; sed ad sua importune nos vocat Anonymus.

(14) Homo suavitatum omnium plenissimus, ab altera canina littera consulto abhorret.

gomento da ſpiegare a ſuo modo (15) quel *Perſiano*, prova appunto, non eſſere egli il Piſtore nato in Perſia, e molto meno il marito di chi ha il barbaro (16) nome di *Earine*. Perchè dunque privare (17) la Perſia del ſuo Piſtore; e violentando (18) quel *Perſiano*, anzichè dargli la naturale ſpiega di *nato nella Perſia* (19), condannarlo (20) a dinotare piuttoſto un

(15) Et ſuo, & eorum omnium, qui capitis vertigine non abripiantur.

(16) Ita quidem: quî enim poterat Romanae elegantiae vir, in Italiae umbilico liberaliter eductus, cum barbara uxore ſine ulla querela annis XXXV. feciſſe? Ita quiſquis in lapidibus poſthac occurrat *Earini*, aut *Earines* nomine, eos omnes, Anonymo vade, Perſis, ac barbaris accenſebimus. Sic apud Grut. 837. 10. ELPIS EARINA; atque apud Fabr. c. IV. 294. & Gud. 475. 2. CLAVDIA .... RINE, h. e. EARINE; Fabr. c. II. 62. M. ANTONIVS EARINVS; Grut. 30. 1. EARINIVS CARVS. His adde, ſcalptoris fortaſſe oſcitantia, Gruteri EATINVM 565. 3, ut etiam ſi qui VERNI, VERNII, ac VERNAE nomine occurrant, quod eodem recidit. Indignor vero praeſertim, quod EARINVS ille apud Grut. 600. 7. inter ipſos CAESARIS SERVOS PEDISSEQVOS confidentiſſime irrepſerit; quem quidem Caeſar ſi barbarae originis ſentiet, non dubito, quin in piſtrinum continuo dedat. Vnus tamen heic importunus mihi naſcitur ſcrupulus, numne *Claudiae* nomen etiam barbarum ſit? an ex patre Perſa, matre vero Romana, hybrida emerſerit Romano-Perſica filia? Sed ab eo ſcrupulo, ſat ſcio, me lubenter abſolvis.

(17) Quaſi Perſicae gentes extrema fame laborent. At ſi eo loci deducta res eſt, ut uno indigeant piſtore, jam de Perſiae imperio actum eſt.

(18) Clodius accuſat moechos.

(19) Perſiam eo tempore in Exquilino colle ſitam fatendum eſt, quae Romanae dein pertaeſa multitudinis in Aſiae ſinum ſe receperit. Aut certe gravidas matres ſub partum Romam commigrare ſolitas, ut filii Romano nomine, ac juribus gauderent. Itane? an vero ſicuti Scipio ab victa Africa *Africanus* audiit; ita & piſtori noſtro ab debellatis Perſis *Perſiani* nomen obvenit? niſi quid horum ſit, ſenſum communem abjeciſſe videtur, qui in Perſia natum Romano nomine dici poſſe exiſtimet.

(20) Maximum fuit olim Populi Romani

un Romano, che lavori ful gusto (21) di Perfia?

mani beneficium, civitatem alicui impertiri, qua nihil erat in orbe augustius. Pudentis vero aetate, poenae loco habebatur: quid facias, bone vir? ea eft rerum viciffitudo, ut omnia femper in pejus ruant. *O faeclum infipiens, & inficetum!*

(21) Singulas Romanorum in panificio delicias nec hujus loci eft perfequi, nec animadverfionis brevitas patitur. Ei certe rei fidem faciunt praeter cetera variae panis, & placentarum fpecies, ac formae: *E frugibus quoque*, ait Plinius c. 19. lib. 19, *quoddam alimentum fibi excogitaffe luxuriam, fuperque piftrinarum operibus, & caelaturis vivere*. *Caelaturas* dicit expreffas in pane imagunculas, ac lineamenta. Mart. 14. 222. *Mille tibi dulces operum manus ifta figuras Exftruit*; & Manil. lib. 5. 283. de piftoris genitura: *Atque unum genus in multas variare figuras*. Hinc Apulejus habet *jucungulos*, (alii *lununculos*) *bamos, lacertos, & complura fcitamenta mellita*; Horatius *cruftula, quae dant pueris blandi Doctores, elementa velint ut difcere prima*. Varro *circulos*, Arnobius *fpirulas, botulos, ificia, caftellamenta*; Clemens Alex. *πυραμίδας, τολύπας*; Apicius *circellos ificiatos, & circellos rotundos*; Martialis *Lucanicas*; Petronius *mellitos globulos papavere & fefamo fparfos*, de quibus Acron in Hor. de Arte: *Mel cum papavere mixtum in placenta*. Ac cetera offularum genera, quae pueris vendit jentacula piftor. Variis etiam delineatas figuris fatendum eft *fcriblitas, liba, bellaria, τέμματα, panchrefta, artolaganos, buccellas, polentam, fefamum &c.* quae fuos fingula habebant feorfum per collegia piftores: quid enim notius *libariis, lactariis, bellariis, filiginiariis, panchreftariis, dulciariis, placentariis*, aliifque *ψαμμακοσίοις*? Eft & apud Lamium de Erud. Apoft. p. 322. in marmore Ravennate *Florentius* quidam PATER PISTORVM, h. e. praefectus.

At qui poterat hifce finibus contineri Romanorum luxuries, nifi pro exterarum etiam gentium indole, ac fenfu panes conficerent? *Alexandrinum panem excavabis*, ait Apicius lib. 4. cap. 1. quos Apollinaris vocat *panes Libyca folitos flavefcere Syrte*, Carm. 17. v. 13, de quibus & Pollux lib. 6. c. 11, & D. Athanafius in vita S. Antonii. Plinius lib. 8. c. 11. *Durat fua Piceno in panis inventione gratia ex alicae materia*; de quo Apic. l. c. *Adjicies in cacabulo panis Picentini tria frufta*. Ea eft Martialis *Picentina Ceres*, ep. 47. lib. 13. iifque panibus Pontifices uti folitos ait Macrob. Sat. lib. 2. c. 9. *Cumanum panem* praefefert Lucilius in fragmentis, quae fuperfunt ex lib. 25. poft Cenfor. edit. 1743. *Cilicem* vero Euftathius, & Athenaeus. Eft & *Ardinienfis panis* ex Cod. Theod. l. 5. de Annon. Civic, de quo rurfus infra; ut & *Cantaber* omnium deterrimus ex Actis aliquorum Sanctorum apud Cangium, qui & de *Francico* fequioris aevi nos monet. *Lucanorum* item in pane lautitias docent Arnobii *Caftellamenta Lucanica*. His adde, quae de diverfis panis fpeciebus edifferit Athenaeus, Rhodiginus, aliique. At egregiam praeter ceteros de eo negotio, meis veluti commodis natam tractationem habet

bet Plinius lib. 18, qui ex iis frumenti generibus, quae Romam invehebantur, unde varii conficerentur pro gentium ingenio panes, *Gallicum* recenset, *Chersonensem*, *Sardum*, *Alexandrinum*, *Siculum*, *Boeoticum*, *Africum*, *Transpadanum*, *Clusianum*, *Balearicum*, *Cyprium*, *Thebaicum*, *Hispanicum*, *Thracium*, *Alpinum*, *Parthicum non pridem e Parthis invectum*, & alia.

Iam vero hinc te non extricabis, Anonyme; aut eos panes, antequam Romam inveherentur, in suis regionibus confectos dices, quibus coementarii; opinor, ad structurarum soliditatem, non ad mensas delicatuli uterentur Romani; aut in meam sententiam obtorto licet collo discedas oportet, Romae pistores fuisse, qui pro diverso frumenti genere, atque exterarum gentium sensu, varios confecerint panes. Neque enim pistores omnes omnia panum genera confecisse vero simile est; quando pro diversis etiam panificii speciebus varii erant pistores; ut crustulis alii, alii libis, panchrestis, &c. addicerentur. Velit itaque nolit, mihi eripere non poterit ille, fuisse & Hispanos, & Gallicos, & Graecos, & Africanos, aliosque hujuscemodi pistores, non quidem in iis provinciis natos; sed qui ad earum gentium indolem, atque ex diverso externorum populorum frumento panes conficerent, ac porro venderent. Tum si nobis ipsissimum in usu est, ut *Gallicos*, *Hispanos*, *Germanos* pistores habeamus, eane una in re veteres nostris hominibus minores adfirmabimus, qui in ceteris gulae sensibus facile praestabant? Cum itaque *Persiani* vox ad Pudentis patriam referre nos vetet Latini peculii nomen; eritne quidquam vero similius, quam ut Iunium *Pistorem Persianum* dicamus, quod in Persico panificio Romae egregius esset praeter ceteros?

Ac si quid umquam conjiciendo assequi possumus, omnia in eam rem collineare videntur. Nam primo notatu dignum, frequentes non esse lapides, in quibus de defunctorum natione moneantur lectores, quorum patria potius, quam natio marmoreis titulis consignanda erat. Ad haec ea ipsa, quae patriam, aut nationem prae se ferunt epigrammata, plerumque ad milites pertinere monet Rein. Cl. 8. 8. *Hoc praecipuum habuere milites, ut patriae eorum exprimerentur nuncupatim in saxis, reliquorum non ita frequenter*, ut & saepius alibi: quod ab Graecorum instituto fuit, ut eorum, qui bello occubuissent, sepulchra in Ceramico constituerent, notantes, ut ait Pausanias in Atticis, τὰ ὀνόματα, καὶ τὸν δῆμον ἑκάστου. Sic Caesar lib. 3. de B. C. 71. equites Romanos in bello mortuos refert *Q. Felginatem Placentia*, *A. Gravium Puteolis*, *M. Sacrativirum Capua*. Sed in lapidibus ex Classe Militum multo notius est, quam ut monentem requirat. In mercatoribus etiam, qui in remotis regionibus mercaturae exercendae gratia peregrinabantur, id ipsum factitatum videmus. Sic apud Grut. 650. 2. NATIONE . CILIX . NEGOTIATOR . SAGARIVS ; NATIONE . PAPHLAGO . MERCATOR . SAGARIVS ; id 365. 5. ITALICI . ARGIS . NEGOTIANTES ; 1003. 4. SELIMBRIANVS . NEGOTIANS . PVTEOLIS ; 465. 7. DIFFVSOR . OLEARIVS . EX . BAETICA ; Rein. XI. 35. NEGOTIATOR. EX . HISPANIA . CITERIORE ; aliique quamplures.

Opificum vero, ac venditorum, qualis

lis noſter Iunius, ut plurimum alia fuit ratio, quorum habitationes ferme ſemper, raro patriam adnotabant: *Idque ſic fieri omnino neceſſe erat*, ait Rein. XI. 79, *quia hoc genus peculiari quodque urbis regioni adfixum, deputatumque decreto Màgiſtratus vivebat, & larem fovebat*. Hinc apud eumdem XX.370. VENDITRIX. HORDEI. DE.BIA. NOVA. XI. 79. POMARIVS. DE. CIRCO. MAXIMO; Gruterus 27. 1. GENIARIVS. POST. AEDEM. CASTORIS, & 670. 2. SAGARIVS. POST. AEDEM. CASTORIS; 79. 3. ASINIA. TYRANNIS. FEMINARIA. A. PORTA. TRIVMPHALE; 1110. 1. BALERIA. VERECVNDA. IATROMAEA. REGIONIS. SVAE. PRIMA. Adde apud Rein. VESTIARIVM A QVIRINIS, A VICO TVSCO, PVRPVRARIVM DE VICO CORNELII, NVMMVLARIVM DE BASILICA IVLIA, CYRNEARIVM A VICO CYPRIO, VNGVENTARIVM VIC. LOR. MIN. LIBRARIVM DE SACRA VIA &c. Denique non praetereundum, eam patriae, aut nationis ſignificationem, ſi pauculas in vaſtiſſima inſcriptionum ſylloge eximas, officium ſemper, aut appellativa nomina praecedere, quod & Vrſatus, & Hagenbuchius, & Hultmannus expreſſe monent, qui eam Lapidariae critices partem eximie pertractarunt. His omnibus ſi addas Latinum *Pudentis* nomen, ipſamque integram epigraphen Latino ore loquentem, nonne omnia, data veluti dextera, amice inter ſe conſpiraſſe fatendum eſt, ut *Perſiani* ſignificantiam non ad Iunii patriam, ſed ad piſtoris officium referamus? Age nunc, ſodes, uter noſtrum ſplendide fallitur?

Verum non defuit, qui ut Latinum *M. Iunii Pudentis* nomen cum Perſiano homine omnino conciliaret, eum libertum dixit, qui ſcilicet in Perſia natus, ab Romano dein patrono manumiſſus, ejus nomen de more aſſumpſerit. Mirum quantum paucis abhinc annis creverint nos inter Romani liberti! Nam pſeudo-Siculus neſcio quis apud Florentinas Litteratorum ephemeridas anno 1771. pag. 456. Auguſtum fuiſſe libertum ex Gruteriano marmore deprehendit: & nunc noſter *Pudens* de libertorum etiam genere emergit. Ceterum qui ita ſentit (ejus nomini parco) de libertis ne fando quidem audivit; aut certe neſcio quid humanum paſſo de memoria excidit, quod non dubito, quin millies lectitaverit, in nominandis libertis eamdem fere, quae in Coloniis, ſervatam conſuetudinem. Nam ſicut hae, accepto ejus nomine, a quo fuerant deductae, civitatis, in quam deducebantur, nomen cognominis loco habebant; ita & libertis poſt manumiſſionem vetera ſua nomina in cognomen tranſibant, patronorum praenominibus, nominibuſque aſſumptis. Fuerit itaque ſervus piſtor noſter: fuerit a M. Iunio manumiſſus; nonne ſaltem *Pudentis* cognomen, h. e. proprium ſervi, antequam manumitteretur, nomen, Perſici peculii eſſe deberet? Hoc vero Apella credet, non ego. At ſcio, quid nupero huic philologo impoſuerit. Legerat in Herodoto lib. 1. c. 39, quod Perſarum nomina τελευτῶσι πάντα ἐς τουτὸ γράμμα τὸ Δωριέες μὲν Σὰν καλέουσι, Ἴωνες δὲ Σίγμα, *terminantur omnia in eadem littera, quam Dores San appellant, Iones Sigma*; ſtatim juravit, quod *MarcuS IuniuS PudenS* Perſicum nomen eſſet.

ſia ? E come ſappiamo, che in ogni luſtro venivano in Roma i piſtori [22] d'Africa: biſogna dire [23] altrettanto di que' di Perſia. Oltrechè chi non ſa [24], che de' ſtranieri Aſiatici, ed Africani pieni erano tutti gli angoli d'Italia? Ricordar ſi dovrebbe [25] il Signor Zarrilli degli Ebrei in Roma [26], dalla Criſtiana

(22) Rem incredibilem narras, Anonyme; quam niſi tu primus ex Piſtoriis Annalibus ſudore maximo eruiſſes, quî aliunde ſcire poteramus? Vide interim, quantum tibi debeat piſtorum collegium! Ac nullus dubito, quin beneficii memor te proximis comitiis piſtoriae artis Conſulem ſine collega cunctis ſuffragiis renunciet.

(23) Nonnullae ſunt in America beſtiolae (*ſympatbicas* vocant), quas tanta naturae neceſſitate conſpirare ajunt, ut quidquid olim alterutra fecerit, ab eo abſtinere, etiamſi velit, nequeat altera. Ex earum numero Africam, & Perſiam fuiſſe opinor; uſque adeo ut ſi Africa piſtores Romam delegaret, non poſſet & Perſia ſuos ſtatim non mittere.

(24) Neque id Zarrillius negat.

(25) Ac Deo bene juvante, adhuc meminit.

(26) *Alpbii Iudae* titulus Capuae eſt effoſſus. Ecquis autem Gordium mihi nodum expediet, quo pacto ab Campano marmore Anonymus, Hebraeos Romae fuiſſe deducat? Roma-ne per eos dies Capuam advolavit, an Campana Vrbs Romam? An vero latrunculis ludit ille, & urbes, quaſi calculos luſorios, de ſede in ſedem pro opportunitate migrare jubet? Et tamen hi ſunt, qui in re litteraria Dictaturam perpetuam exercere volunt!

Ceterum frequentes olim Romam identidem commigraſſe Hebraeos, non ex *Alpbii Iudae*, ſed ex Romanis Iudaeorum lapidibus, ac veterum auctoritate aptius derivat & Zarrillius, & quiſquis critica licentia in antiquitatem debacchari nolit. Id enim tertio quoque verbo teſtatur in ſuis Antiquitatibus Ioſephus. Philo etiam de Legatione ad Cajum, *trans Tyberim bonam urbis partem a Iudaeis teneri* ait; quo quidem in loco extra Portam Portuenſem ſua ſeorſum habebant ſepulchra, ut adfirmant oculati teſtes Boſius, Blanchinius, Severanus, aliique. Iuvenalis etiam Sat. 3. Iudaeorum delubra ibi locata conqueritur, *ubi nocturnae Numa conſtituebat amicae*; h. e. ad Aegeriae fontem. Et Anonymus quidam XIII. Saeculi ſcriptor apud Montfau-

na [27] Iscrizzione di *Alfio Giuda*, da lui stesso pre-

fauconium, Pontem Aelium sua adhuc aetate *Iudaeorum pontem* dictum asseverat. Ad haec sua olim habuisse conventicula, & Synagogas, in quibus de more coirent, & sacra patriis legibus peragerent & Iosephus, & Codex Theodosianus frequenter inculcat. His adde sexcentos Hebraeae gentis titulos Romae ex intervallo detectos, Graeco, Latinoque ore loquentes; quorum aliqui ex Orientalium consuetudine a dextra sinistrorsum procedunt. Eos lapides, ne aliorum scripta compilasse videar, adisis apud Fabrettum, Reinesium, Sponium, Gudium, Boldettum, Marangonium, Muratorium, Schlegerum, aliosque: praesertim vero apud Ridolphinum Venutum in Diario Litteratorum Romano, anno 1748. mense Majo, ad *Flaviae Antoninae*, *&* *Besulesani Roricii* titulos; necnon Bayerum *de Inscriptionibus Iudaeorum Graecis*, *&* *Latinis*; tum Lupum ad S. Sev. Epitaph, ac Diodatum *de Christo Graece loquente*. Denique Mazochius ad Hebraeos pertinere contendit inscriptiones, quae prae se ferant illud *cum Spirita Sancta*; quod ex Iudaeorum Latine balbutientium more derivat Spicil. Bibl. tom. I. p. 17, & in *Actorum Recensione in causa Hilari fide constituti* p. 47. Et tamen noster Anonymus, quasi pro ea re argumenta domi non suppeterent, foris ab Campania quaerit. Amamus te, Anonyme, ob eam sedulitatem.

(27) Laudo hominis augendi Christianorum numerum studiosissimi pietatem. Sed ab ea religione facile absolvo. Ita enim se habet *Alphii Iudae* inscriptio, ad ipsius marmoris fidem:

ALFIVSIVDA
ARCONARCOSY
NACOCVSQVI
ANN LXXMESIBVII
DIEBXALFIASO
TERISCVMQAN
XXXXVIIICOIVCI
INCOMPARABIL
BENEMERENTI
FECIT

At vero ecquodnam se ibi prodit Christianismi vestigium? Sollemnes Christianorum formulas fuisse scimus *In pace*, *dormit*, *quiescit*, *percepit*, *fide constitutus*, *&c.* Ad haec Christi monogramma, A & Ω, ac cetera hujuscemodi Catholici nominis διοριστικὰ; quorum si nullum Alphio se comitem dat, ecquid tandem est, quod illum, invito Deo, in paradisum inferre velimus?

Sed quoniam huc delapsi sumus, ἐν παρόδῳ advertas, quas vulgus Scriptorum Christianismi formulas arbitratur, earum nonnullas Christianis aeque, ac Iudaeis ita communes fuisse, ut nisi aliquod praeterea accedat peculiare Christiani hominis indicium, frustra sit, ut suppositos hisce titulis homines Catholicorum gregi temere accenseamus; praesertim vero si Hebraeis nominibus distinguantur: imo ab Iudaeis potius Christianos postmodum lapidarias eas phrases imbibisse fatendum est. Nam formulam *In pace* Hebraei prorsus peculii esse, ultro in oculos

presentata [28] alla Santità di N. Signore, ed ultimamente [29] pubblicata dal Sig. Abate Amaduzzi su le Novelle di Firenze: degli Alessandrini in Napoli, detti *Cinèi* [30], come dalla

los incurrit. Sic Gen. 15. 15. *Ibis ad patres tuos in pace*; IV. Reg. 22. 20. *Colligeris ad sepulchrum tuum in pace*; II. Paral. 34. 28. *Infereris in sepulchrum tuum in pace*; Sap. 3. 3. *Illi autem sunt in pace*: Eccl. 28. 11. *Annos illius in pace implebit*; 41. 14. *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt*; Hier. 34. 5. *Sed in pace morieris, &c.* Idipsum de *Dormiendi* formula dicas. Gen. 47. 30. *Dormieris cum patribus tuis*; II. Reg. 7. 12. *Et dormieris cum patribus*; Iob. 27. 19. *Dives cum dormierit, nihil secum auferet*: Matth. 27. 52. *Multa corpora Sanctorum, quae dormierant, surrexerunt*, & cetera quamplurima. *Alphius* vero, quem pius Anonymus in Catholicorum tabulas infarcire vellet, ne communia quidem Christianis juxta, ac Hebraeis indicia habet. Ita bonus ille Bonfantius apud Murat. Ant. Ital. Diat. 58. sicubi in lapidibus sigla illa B. M. offenderet, pro *Benemerenti*, aut *Bonae Memoriae*, statim *Beatum Martyrem* interpretabatur; eaque via multis Martyrum centuriis Sardiniam auxit in libro, cui titulus: *Triumpho de los Sanctos del Reyno de Cerdenna*.

(28) Nostrorum certe temporum felicitati adscribendum, quod Beatissimus Pater CLEMENS XIIII. inter gravissimas, quibus circumfluit, Catholici orbis sollicitudines, bonarum artium studia, quasi si id unum agat, impensissime foveat, & novum in Vaticano Musarum contubernium rei antiquariae cultoribus aperuerit. Sed sicut Ille omnes paternae industriae nervos intendit, ut ingenuas artes ad veterem gloriam erigat; ita nostrae vicissim erunt partes, si quae forte nanciscimur antiquitatis monumenta, Ejus pedibus sistere, & tanto Maecenati quoad fieri potest obsecundare.

(29) H. e. anno superiore, XV. Kal. Novembres: octonos menses uno haustu absumpsit, & epigraphen haud pridem editam dicit. Sed Alphii inscriptionem multo ante Cl. Amadutium publici juris fecerat Gudius p. 263. 5. Verum extrema in sede stabulatur Anonymus, qui plerumque in extremis laborat. Ceterum ab Gudio Amadutius nonnihil differt; utrique vero (amicissimi, doctissimique viri pace hoc dicam) ab marmoris fide; cujus scriptio nullis prorsus punctis, ac nullo ferme singularum vocum intervallo divulsa est. Epigraphe autem litteris non elegantibus exarata, ineleganter tamen concepta non est, & ab ipsis purioris Latinitatis saeculis non multum abludit: leviuscula enim scalptoris σφάλματα nil moror.

(30) Sunt qui ab una hac *Cynaeorum* phratria epistolae auctorem deprehendisse existimant. Ego vero pseudo-Sosiae

la dotta opera [31] della Teca Calamaria; de' Tirj,

Sofiae larvam per me detrahere nolo. Hoc unum dico, quos Cl. Auctor Thecae Calamariae *Cynaeos* Neapolitanis quasi postliminio restituere contendit p. 636. ceteris accensendos portentis, quae ille mentis morbo calens, sibi saepissime videre videtur. Enimvero tota *Cynaeorum* natio uno innititur marmore, in quo Coccejus nescio quis cum suis filiis scyphum sistit ΘΕΟΙC ΦΡΗΤΟΡCΙ ΚΥΝΑΙΩΝ, h. e. *Dis Tribulibus Cynaeorum. Porro vel tirones sciunt*, ait ibi Martorellius, *a voce* κύων *canis, & proxime a casu patrio* κυνὸς *fruticare* Κυναῖος, *scilicet is, qui cani addictus est, eumque colit: hinc ut te non diu teneam,* κυναῖοι *sunt, qui Anubim Aegyptium numen colebant*. Alexandrinos negotiatores Neapoli, suisque viciniis olim fuisse ultro manus do: nam ex Suet. Aug. c. 98, & Neron. c. 20, tum ex inscriptione apud Maff. Mus. Ver. p. 478. 7, & doctissimum nostrum Ignarram de Pal. Neap. p. 239. apertissime eruitur. At nostri marmoris *Cynaeos* ab Alexandrinis distare ajo, quantum Codrus ab Inacho. Nam ut minuta illa peccata mittam, ΚΥΝΑΙΩΝ pro ΚΥΝΕΩΝ, vel ΚΥΝΕΙΩΝ, quibus quidem naevis offendi non patitur, qui in supplendis, explicandisque lapidibus pictores ipsos, ac poëtas excedit; quid hoc monstri est, Κυναίους *Caninos* dici, qui canem religiose colunt, cum in malam semper partem eam vocem usurparint veteres? aut quis risum cohibeat, si Aegyptios *Murinos*, *Vitulinos*, *Bovinos*, Cyprios *Palumbinos*, Athenienses *Noctuinos*, Persas *Igneos*, *&c.* ab religione dictos audiat? vel si tandem ab canis cultu derivandi essent Κυναῖοι; eo sub cortice non Alexandrini, sed Aegyptii omnes delitescerent, apud quos vulgo Anubis canis facie colebatur. Ad haec cum Saturnus olim Κύων audierit, uti praeter ceteros observat Mazoch. ad Tab. Heracl. p. 35, cur Italico in marmore Κυναῖοι Anubis, non Saturni cultores erunt, quando Italiam ipsam a Saturno *Saturniam* appellatam scimus? Denique cum Alexandrini cives Ἀλεξανδρέων nomine apud omnes venirent, quid sibi vult insolens, & portentosa *Caninorum* denominatio? numne honestior haec a *cane* deducta?

Atqui una litterula leviter immutata, aptius & verius pro ΚΥΝΑΙΩΝ legi poterat ΚΥΜΑΙΩΝ. Eo pacto integra sibi constat epigraphe, ut *Dis Cumanorum tribulibus* & scyphum, & litteratam basim nuncuparit Coccejus, sive ipsos Cumanos intellexerit; sive Cumanae certe originis Neapolitanos. Sed & quovis pignore certarim, in marmore scalptum esse ΚΥΜΑΙΩΝ, pro quo suppositum ΚΥΝΑΙΩΝ; non sublesta quidem Martorellii fide, a qua certe Graeci homines suopte ingenio abhorrent; sed quod is cum naturae vitio ab vertigine laborare soleat, in insperatam conjectus voluptatem, quod Plautinam Aulam invenerat, & consueto mentis calore correptus, pro littera M dextrorsum fortassis detrita, ipsissimum N videre sit visus. Et tamen is, quod *Cynaeos* ab interitu vindicaverit, equestrem statuam cum basi, & ornamentis ab popularibus suis efflagitat.

(31) *Calamarios Annales*, in quibus

Tirj, Sidonj, Beritesi, e mille altre [32] estere nazioni, ch'erano in Italia. Così in una Iscrizzione inedita presso di me trovata ne' scorsi anni nelle vicinanze di Brindisi, vi si vede un negoziante Spagnolo [33]: BAEBIOLO. FIL.

bus de Caelo, & Mundo, & Chao, & si quid ultra est, plenissime disseritur, quis pro merito laudare poterit, quos uno ore & nostri, & transalpini homines magnifice praedicant? Rudem tamen eorum imaginem adumbrat lepidissimus rhytmus, Neapoli superioribus annis editus, cujus nonnullos versus hic recitare lubet:

At quibus auctor fulcris tot ineptias,
Tot apinas, gerrasque, & nugas sustinet?
Quadrata aptat rotundis, simul nomina,
Aut addens elementa, aut tollens syllabas,
Mutat, invertit irretortis vocibus:
Suique haec moti cerebellii insomnia
Nuncupat Metatheses, Zeugmas, aut Syncopas,
Quibus sincera, & genuina lectio
Vnicuique opellae restituitur.
Sic quisque posset facili negotio
In ditione Ramae Romam *dicere*,
Arnum *pro* Sarno *fluere in Campania*,
Cacum *& facere* Bacchum *Iovis filium*.
O dignus &c.

Qui plura desideret, adeat Ignarrae nostri eruditissimum de Palaestra Neap. opus, ubi Martorellium ab ovo usque ad mala pro merito castigat.

(32) Indignor, quod heic *Aethiopas*, memoria fallente, non memorarit Anonymus; quorum non infrequens Colonia Puteolos deducta est, Duumviris Martorellio, & Vargas. Sed ecquando ea deductio facta fuerit, acriter digladiantur eruditi. Ego vero tunc evenisse opinor, quum Oceanus procellarum pertaesus, clementiorique otio usurus, in Puteolanum sinum se recepit: qua in statione solitudinis impatiens, *Thetidem*, *Nymphas*, *Pygmaeos*, *Atlantem*, *Circem*, *Prometheum*, *Gorgonas*; ipsos etiam *Hesperidum hortos*, atque *Aethiopas*, quibuscum otiaretur, ab Africa accivit. Rem omnem accurate describit Cl. Auctor Colon. Phaenic. Neapol.

(33) Quod ab editis Lapidibus eruere desperabat, ab recondito suarum inscriptionum penu depromit. Et certe inauditum aliquod, ac novum allaturus est. Sed quid tandem isthuc est, Anonyme? Nostram exspectationem noli diutius frustrari: jam enim densi humeris tuo ex ore pendemus. Ecce autem ille jam inde Brundisio novum marmor venire jubet, & conscenso suggestu, manuque silentium indicens: *In Italia*, inquit, *fuit olim negotiator Hispanicus*. Papae! proh quantum doctiores evasimus! nam nisi id Brundisina epigra-

FIL. (corr. FL. cioè FLAMINI) DIALI (34)

Q. BAE-

pigraphe nos doceret , aliunde nullo pacto derivare poteramus . Itane ? an vero novum & peregrinum tibi accidit , quod Reinesius , Donius , Muratorius , aliique multo ante Brundisinum lapidem aperte significaverant ? & is interim , quasi rei lapidariae judex supremus , de lapidibus sine appellatione pronuntiat ? *Difficile* enimvero *est satyram non scribere*.

(34) Et heic novis cupediis nos plane beat . Siccine breviusculas litteras tantis sordibus contaminare potuit , quantas ne in Augiae quidem stabulo purgavit Hercules ? Sane nihil in lapidibus communius est , quam ut parentes filiolis suis infantibus diminutivo nomine abblandiantur . Sic VICTORILLA quinquennis, Grut. 677. 7. VARRONILLA bimula , 438. 6. ISSVLVS triennis , Fabr. p. 45. 254. SOSIOLA , Murat. 1125. 5. BASSILLA , Grut. 678. 10. GERMANILLA, Murat. 1124. 9. His adde appellativa ANIMVLAM, Murat. 1125. 2. FILIOLAM, Grut. 688. 1. MARGARITION, Fabr. p. 45. 255. quod nos *un giojello &c.* Mirabar itaque , cur *Baebiolus* , h. e. pupulus *Baebius* , *Flamen Dialis* renunciari potuerit ; nisi sit quod , ut nostro tempore *i Cardinali in fasce* , ita & infantes *Flaminuli* aliquando crearentur ; quo quidem ex capite marmor hoc quovis auro contra carum evaderet . At quid tandem est , quod in interpretandis lapidibus , si quid forte aut captu difficile sit , aut praeconceptae forsan opinioni nostrae incommodum , statim in scalptorem fabam cudimus , & epigraphen pro lubidine refingimus ? Lapicidasne somniculosos omnes fuisse , qui totos dies dormitarint ? Atqui ex binis inscriptionibus apud Murat. 492. 3 , & Auctorem Inscriptionum Panorm. num. 37. constat, peculiares fuisse olim officinas , in quibus epigrammata ex artis praescripto delinearentur ; quod sedulam potius veterum in incidendis epigraphis diligentiam arguit . Quid igitur obsistit , quo minus Baebiolum *Filium Dialem* dicamus ? *Consulem Dialem* dixit Caninium Cicero apud Macr. Sat. II. 2 , & VII. 3, qui uno eodemque die magistratum iniit, et ejuravit ; de quo lepidissime dicere solitus erat: *Vigilantem habuimus consulem , qui in consulatu suo somnum non vidit* . Ita prorsus *Dialem Baebiolum* dixit pater , quod uno eodemque die & in lucem prodierit , & fato concesserit . Ceterum tanta fuit Anonymi de invento Hispaniensi negotiatore laetitia , ut duos in marmore *Baebios* , h. e. filium patri cognominem minime advertit ; ac diminutivam *Baebioli* denominationem unius dieculae infanti potius , quam Flaminis gravitati convenire ; nec dubito , quin extremum illud P. *Pater* sit , non *Posuit*.

Huc facit elegantissimum epigramma apud Martorellium Thec. Calam. 297, Passioneum 135. 14 , & Cl. Ignarram Pal. Neap. p. 178. Eo in titulo tenellula infans de se ipsa ait : *ἄγαλμα εἰμὶ ἡλίου, καὶ γαρ ἡλίου ἡμέρα ἐγεννήθη* (corrige *ἐγεννήθην*) *καὶ ἡμέρα ἡλίου κρίσις μου γέγονεν* . Martorellius sibi usque constans *martyrem* fecit , & ex vero , cui viscera miserandum in modum distraxit . At doctissimus noster Ignarra medicas manus

Q. BAEBIUS [35] NEG. HISPAN. P. Non veggo [36] poi, perchè risparmiato non si abbia la pena di raddoppiare inutilmente gli stessi luoghi, come quel *Sardico*, ed *Hardiniensi* [37]; quando i più savj Critici leggono nel Codice *Sardiniensi* [38] ch'è sinonimo al

manus adhibens, non aliam ob caussam ἄγαλμα ἡλίου puellam dici, h. e. *solis imaginem* demonstrat, *nisi quod unam diem vivens, vivam solis, qui eodem die oritur, & occidit, imaginem expresserit*. Varias ibi interioris eruditionis lautitias litteratis hominibus gustandas apponit Ignarra, quas, ne actum agam, heic referre supersedeo. Ita nec ab oscitantia scalptorem castigabimus, nec veteres infantes novo hoc sacerdotii genere initiari oportebit.

(35) U pro V; Anonymine, an typographi supinitate? adfirmare non audeo: utriusvis demum sit, de prioris editionis diligentia nihil in nostra deperire volo.

(36) Et hunc caecutire negabimus?

(37) *Chommoda dicebat, si quando commoda vellet*

Dicere, & hinsidias Arrius insidias. Ait *Catullus*; nisi malitiosus homo consulto graecisset, ut spiritum deinde in sibilum Latine vertat. Sic ab ἕξ sex, ὑπερ super, ὗς sus, &c. Et hunc nec Graece, nec Latine scire calumniantur? *O tempora! o mores!*

(38) Ab continenti Italia ad Sardiniam gradum facit. Vtinam in insulam deportatus heic tandem consistat, ne ceteras orbis partes suis passibus contaminet: nam quae de *Sardiniensi Pane* hic congerit, eum omni plane sensu carere nos monent. *Ardiniensem* enim *panem* Valentiniano coaevum, aut certe supparem fuisse, ea legis verba satis edocent: *qui NVNC dicuntur Ardinienses*; quo fit, ut de illo nec Athenaeus, nec quisquam ante ea tempora meminerit. Quis igitur sanae mentis legat ibi *Sardinienses*, cum Sardiniae panes ad ipsa assurgant rei publicae tempora? An Sardicus panis, decurso spatio, quasi si in stadio, a calce ad carceres rediit? Ad haec *Ardiniensem* sordidum fuisse panem, inde derivat Gothofredus, quod eum *mundis buccellis* opponat Imperator: a Sardiniae igitur pane, qui omnium optimus erat, omnino alium fuisse fatendum est. De Sardinia enim praeter ceteros Strabo lib. 5. ait: χώραν ἔχον εὐδαιμονατῶις πασὶ, σίτῳ δὲ και διαφερόντως: *solum habens omnium rerum copia, excellenter autem frumenti beatum*. Sardicus itaque, ac *Ardiniensis* tam synonyma sunt, quam Aethiopes albis.

Iam vero in Campo Thebano, atque adeo in Lydia urbs erat *Ardynia* nomi-

al *Sardico*. Molte altre cose (39) aggiunger si potrebbero sul *Magnario*, ed *A Virginitate*. Ma a che dilungarci su l'accessorio, quando non siasi dato al segno nel principale (40)? motivi tutti da pregare ambi gli abbati (41), ad

nomine, de qua aperte Xanthus Lydus, Lydiac. II. apud Stephanum in voce Ἀρδύνιον. Itaque si pro *Ardiniensi*, uno mutato elemento, *Ardyniensem* refingas, ipsissimum habebis, de quo loquimur, panem, quin ulla intercedat codicis sollicitatio. Vnum tamen exsufflandum restaret, eccur *Lydios Pistores* laudet Archestratus apud Athenaeum, ac de Lydorum delitiis multa veteres, praesertim Athenaeus ipse, & hujus commentator Casaubonus congerant, quae cum sordido *Ardyniensi* prima fronte pugnare videntur. Ego vero componi posse ajo, ut ex Lydis omnibus uni Ardynienses pessimi fuerint panum confectores: nihil enim obsistit, quin ex universa Lydia, urbs una & frumenti genere, & panificio ceteris deterior fuerit.

Quid si *Sardiensem* ex Lydiae Sardibus intelligas? ultro manus do: nam *Sardum* etiam *mel* saporis pessimi apud Horatium occurrit in Arte v. 375, & Sardas ex castaneis quamdam panis imaginem confecisse ait Plinius, quos Graeci *Sardianos Balanos* appellabant. Frumentum quoque *Sardum* levissimum refert idem Plin. lib. 18. Omnia denique patiar, dum ne Sardiniae panes in Codice subsidere dicas.

(39) Nonnulli id sepiae ingenium redolere ajebant, quae atramentum fundens, subterfugit, ne capiatur. Alii ad rabularum consuetudinem potius pertinere, qui dum nihil habent, quod addant, alia plura consulto praeterire venditant. Fabulae. Ea in aliud tempus de industria differt Anonymus, ne lectoris gustus tantis cupediis opprimatur. Quis scit, quantas veneres, & Atticos lepores sub MAGNARIO, & VIRGINITATIS ANNIS apposite abdiderit ille, quos quidem si semel excutiat, millenis cupidinibus, gratiolisque litteratos omnes suaviter obruet! Felices enimvero nepotes, quibus haec reservantur!

(40) Satis salvae res sunt: nam si Charybdin illam periculosissimam feliciter enavigavimus, jam de ceteris scopulis in utramque aurem dormimus.

(41) Supra *Abbatem* unum una labiali B procedere jussit; hic vero duos duplici litteras, quasi crustula, pro personarum numero justissime dividit. Sed & illud, Anonyme, assequi se non posse ajebant Abbates, eccur, si seorsum suam quisque ineat viam, ipsis primam litteram majusculam, quasi ex ordine equestri, benigne largiaris: si forte coëant, tamquam de ima plebe, minusculam assignes, & veluti capite diminuas? Tu vero quid illis facias,

ad essere meno facili (41) in avvenire, l'uno a scrivere, e l'altro ad approvare; ed intanto pieno di stima mi raffermo

Di VS. Illustriss.

cias, Anonyme? excusatos habe, qui Codicis Titulum *De Privilegiis Corporatorum* in numerato non habent.

(42) Nos etiam te enixe obtestamur, Anonyme, ut si quando, ingruente vertigine, arma corripias, tamdiu alios impetere differas, quoad subitus mentis calor deferbuerit; ne, dum in adversarios jaculum intorquere credis, tuis te manibus imprudens conficias.

Atque ecce tandem Zarrillianae epistolae monstra, ad quae, tamquam ad Maleae promontorium expalluerat Anonymus, Deo bene juvante, edomuimus. Nam eam patrii casus cum dativo ἀνομαλίαν, sexcentis lapidibus ab nostro marmore, nec renuente Prisciano, averruncantes, statim *M. Iunium* Romano Pistorum collegio, & quidem ingenuum, non libertum reddidimus; & *Claudiae*, quicum per hos dies divortium fecerat, conciliantes, maritum alterum, qui inter concordissimos conjuges malo omine irrepserat, ad corvos amandavimus; nec Persae interim ea de re vel minimum reclamarunt; quibus id satis fuit, si ad suae ille gentis ingenium panes Romae conficeret. Ad haec *Earinen*, purgato barbariei crimine, in Graecorum, Latinorumque censum facile retulimus. Sed *Alphium Iudam*, qui Christianorum gregi se confidenter immiscuerat, suas posthac cum Synagoga res habere jussimus; & Graecum *Cocceji* marmor, quidquid contra latraret *Caninorum* phra-

phratria, *Cunanis* e veſtigio, ad quos unice ſpectabat, reſtituendum curavimus. *Baebiolum* etiam Baebii filium, quod Sacris rite initiatus non eſſet, ut laicam unius diei vitam viveret, ſine provocatione ediximus; & *Ardynienſem panem* in Lydia, quam in Sardinia confectum maluimus. Integram denique epiſtolam, ſive orthographiam, ac pedaturae leges, ſive Logicae canonas, & lapidum ſcientiam, ſive demum ſcribendi petulantiam ſpectes, ne blattarum quidem, ac tinearum epulis dignam *Voluſianis Annalibus* apud Catullum inſeruimus. Reliquum eſſet, ut egregiae epiſtolae auctor ab litteratis hominibus, quos tantis & doctrinae, & morum ſuavitatibus adhuc demulſit, ſuis pro merito augeretur honoribus; qui quidem ſi, peracta jam fabula, Gygis annulum inverteret, ac ſpectatoribus coram ſe ſiſteret; non dubito, quin plenis omnium ſuffragiis, eum ex vero *litteratum*, h. e. *litteris inuſtum* facerent: quo quidem ſtigmate egregii olim facinoris reos, ut commode vitari poſſent, ſedulo notabant. Nam quando inſulſiſſimi hominis parricidio ingenuae ipſae artes tam immaniter diſcerpuntur; quid magis optandum eſt, quam ut ab ea peſte, litteris in fronte conſpectis, ſe quiſque in poſterum caveat?

Poſtremas Vindiciarum pagellas typographicis jam formis expreſſeram, mox praelum ſubituras, cum Cl. Zarrillius, datis Neapoli litteris, me commode admonuit, nonnullos noſtro in marmore (cujus exemplar alienis oculis delineatum ad nos pervenerat, cujuſque archetypon ne nunc quidem inter typographicam feſtinationem

nem coram inſpicere licuit) nonnullos , inquam , δι᾽ αὐτοψίας pro PERSIANO deprehendiſſe PEPSIANO. Itaque mutato rerum ſtatu , ruere videbantur , quae de Perſico Panificio dicta erant ; ac referri potius ad πέψιν h. e. *coctionem*, ἀπὸ τοῦ πέπτειν *coquere*, quaſi ſit *Piſtor furnarius*. Ego vero eam vocem in mendo cubare prorſus ajo , atque ibi omnino legendum PERSIANO. Scio equidem heic forte ab aliquo obtrudi poſſe Plinii *pepticas*, lib. 20, c. 76; & I. Reg. 8. πεσσούσας *panifices*; Ariſtoph. ἄρτον εὐπεπεμμένον *panem bene coctum* ; ipſum denique πέπτειν pro panis coctione uſurpari . Sed quis Latina Graecis intertexta aequo animo ferat , cum ne ex Graeco quidem fonte *Pepſianus*, ſed *Pepticus* dici deberet ? Hinc Gell. lib. 13 , c. 11. non Latinis , ſed Graecis litteris ſcripſit: Πέμμασιν *enim cum* πέψει *ſocietas infida*. Ad haec quid ſibi velit *Piſtor coctor* plane non intelligo, quaſi ex piſtoribus alii panes venderent, alii vero coquerent. Ad rem doctiſſimus noſter Ignarra p. 113 , cujus verba utinam in ſupplendis , emendandiſque epigraphis ſibi quiſque proponeret : *Cum veterum lapidum reſtitutioni opera datur , non curandum ſolum , ut lacera pars reſarciatur ad unguem ; ſed etiam praeſtandum , ut aſſutus pannus eat molliter, & appoſite ad colorem* . Ceterum nihil aeque facile, quam ut ſcalptori in incidendo R, inferna dextrorſum lineola exciderit ; praeſertim cum pro certo habeam, veteres quadratarios (quod & hodiedum obtinet) antequam ſculpendis litteris operam darent, in charta primum, quae marmori ex aequo reſponderet , epigraphen delineaſſe , tum litteris acu punctis , chartam ipſam marmori

mori applicuiſſe, ſparſoque per ejus foramina atrato pulvere, veſtigia ſignaſſe, qua ſcalprum dein ſurculos imprimeret. Nihil itaque magis proclive, quam, ſive dum chartam emovebant, ſive ſtilo elementorum veſtigia morderent, aliquid de litterarum lineolis, aut apicibus deperiret. Hinc ſaepiſſime in marmoribus I pro L, aut T, F pro E, C pro G, & noſtro in lapide P pro R. Atque hinc etiam factum opinor, quod aliquando, charta paullulum fluitante, praepoſtera emergeret lineatio, ac litterae ab imperitis praeſertim ſcalptoribus ſede non ſua ſculptae offendantur.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

D. Jordanus Patriarch. Antioch. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſt. Ricchinius Ord. Praed. Sacri Pal. Ap. Magiſter.